

## SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARE-VALLENSIS

### SERMONES DE TEMPORE.

IN ADVENTU DOMINI.

#### 703-717 SERMO I.

*De Adventu Domini, et sex circumstantiis ejus.*

1. Hodie, fratres, celebramus Adventus initium; cuius utique, sicut et cæterarum solemnitatium nomen quidem celebre satis, et notum mundo, sed ratio nominis forte non ita. Infelices enim filii Adam, omissis veris et salutaribus studiis, caduca potius et transitoria quæerunt. Quibus assimilabimus homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos, quos videmus a terrenis et corporalibus consolationibus avelli separarique non posse? Profecto similes sunt his qui submersi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deserere quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid, quod omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam et si qui ad eos forte veniant ut subveniant, nonnunquam solent apprehensos involvere secum: adeo ut jam nec sibi, nec illis auxilium ferre prævaleant. Sic pereunt in hoc mari magno et spatioso, sic pereunt miseri; dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere et salvare possent animas suas. Neque enim de vanitate, sed de veritate, dicitur: *Cognoscetis eam, et liberabit vos (Joan. viii, 32)*. Vos igitur, fratres, quibus tanquam parvulis revelat Deus quæ abscondita sunt a sapientibus et prudentibus; circa ea quæ vere salutaria sunt, sedula cogitatione versamini, et diligenter pensate rationem Adventus hujus, quærentes nimirum quis sit qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, et qua. Laudabilis sine dubio curiositas ista est et salubris: neque enim tam devote Ecclesia universa præsentem celebraret Adventum, nisi lateret in eo magnum aliquod sacramentum.

2. Primo igitur loco cum Apostolo stupente et admirante intueamini et vos, quantus sit iste qui ingreditur: ipse enim est secundum Gabrielis testimonium, Altissimi Filius (*Luc. 1, 32*), ac proinde coalitissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari: sed æqualis fateri necesse est altitudinis, et ejusdem penitus dignitatis. Nam et filios principum principes; et filios regum reges esse quis nesciat? Verumtamen quid sibi vult quod e

atribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur et adoramus, non Pater, non Spiritus sanctus advenit, sed Filius? Minime quidem ego id factum esse arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom. xi, 34*.) Neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, ut Filius adveniret: et si consideramus exsilii nostri causam, fortassis advertere possumus vel ex parte, quam congruum fuerit a Filio nos maxime liberari. Lucifer enim ille, qui mane oriebatur, pro eo **718** quod Altissimi similitudinem usurpare tentavit, et rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est), præcipitatus illico corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater et opere dixisse videtur: *Mihi vindictam, et ego retribuam (Rom. xii, 19)*. Continuo videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo (*Luc. x, 18*). Quid tu igitur superbis, terra et cinis? Si superbientibus angelis Deus non peperit; quanto magis tibi, putredo et vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est: tantum cogitavit superbiam; et in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est; quia juxta evangelistam: *In veritate non stetit (Joan. viii, 44)*.

3. Fugite superbiam, fratres mei; quæso, multum fugite. Initium omnis peccati superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo angelum, sed angelorum primum in diabolium commutavit. Unde et protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem: suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum et malum. Quid enim polliceris, quid promittis, miser: cum Filius Altissimi scientiæ clavem habeat, imo et ipse sit *clavis David, qui claudit, et nemo aperit (Apoc. iii, 7)*. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss. ii, 3*): tunc eos, ut homini præstes, inique furaberis? Videtis quia juxta Domini sententiam mendax iste est, et pater ejus (*Joan. viii, 44*). Nam et mendax fuit, dicens: *Similis ero Altissimo (Isai. xiv, 14)*; et mendacii pater, cum in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: *Eritis sicut dii (Gen. iii, 5)*. Tu quoque, o homo, si vides furem, curris cum eo. Audistis, fra-

tres, quid hac nocte lectum est in Isaia, dicente Domino: *Principes tui infideles*; vel, ut alia translatio habet, *inobedientes, socii furum (Isa. i, 23)*.

4. Revera enim principes nostri Adam et Eva, principia nostræ propaginis, inobedientes et socii furum; qui quod filii Dei est, serpentis, imo diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat injuriam Filii Pater (Pater enim diligit Filium (*Joan. v, 20*)), sed continuo et in ipsum hominem vindictam retribuit, et aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, et in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius, videns pro se zelare Patrem, et nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus angelus affectavit, et populum qui sibi crederet, habuit: sed continuo Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, subripere voluit homo: et ne illi quidam misertus est, nec peperit oculus ejus. *Nunquid de bobus cura est Deo? (I Cor. ix, 9)*. Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, angelum videlicet, atque hominem: sed ecce propter me angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia et ego diligo **719** Patrem; per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas hæc orta est, ait Jonas, tollite me, et mittite in mare (Jonæ. i, 12)*. Omnes invident mihi. Ecce venio, et talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis invidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Novi tamen in affectum malitiæ et nequitiae transisse angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse; ideoque perire necesse est pœnitere nolentes. Patris enim amor, et honor Regis judicium diligit.

5. Propter hoc enim et ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, et ruinas Jerusalem restaurarent. Sciebat enim nullam angelis patere redeundi viam. Nempe *novit superbiam Moub, quod superbus est valde (Isa. xvi, 6)*: et superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem: quippe quem supplantavit aliena malitia; ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi, ut eruas me, quoniam ego infirmus sum: quoniam de terra mea furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum (*Gen. xl, 15*). Non penitus quidem innocens: sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum est, Domine: veniat Veritas, ut possit falsitas deprehendi, et cognoscam veritatem, et veritas liberabit me; si tamen deprehensæ falsitati penitus renuntiavero, et cognitæ adhæsero veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstina-

tio diabolica. Nam perseverare in malo diabolicum est: et digni sunt perire cum illo, quicumque in similitudinem ejus permanent in peccato.

6. Ecce, fratres, audistis quis sit qui veniat; considerate jam unde veniat, et quo. Venit utique de corde Dei Patris in uterum virginis Matris; venit a summo cælo in inferiores partes terræ. Quid ergo? nonne et nobis in terra est conversandum? Est, si tamen in ea perstitit ille. Ubi enim bene erit sine illo? aut ubi male esse poterit cum illo? *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum (Psal. lxxii, 25)*. *Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si tamen tu mecum es (Psal. xxxii, 4)*. Nunc autem, ut video, et ad terras, et ad ipsum quoque descendit infernum; non tanquam vinculus, sed tanquam inter mortuos liber: sicut lux quæ in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec sanctum corpus in terra videt corruptionem. Christus enim qui descendit, ipse est et qui ascendit ut adimpleret omnia; de quo scriptum est: *Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo (Act. x, 38)*: et alibi: *Exsultavit ut gressus ad currendam viam: a summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus (Psal. xviii, 6)*. Merito proinde clamat Apostolus, dicens: *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (Coloss. iii, 1)*. Incassum laboraret erigere corda nostra, nisi collocatum in cælis salutis nostræ doceret auctorem. Sed videamus jam quæ sequuntur. Nam etsi materia quidem copiosa invenitur et uberrima valde, sed angustiae temporis tantam sermonis longitudinem non admittunt. Considerantibus ergo quis veniat, magna omnino et ineffabilis majestas innouit. Suspicientibus unde veniat, grandis plane patuit via, secundum ejus testimonium qui prophético præventus spiritu, *Ecce, inquit, nomen Domini venit de longinquo (Isa. xxx, 27)*. Porro quo veniat intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio et penitus inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem tanta descendere dignata est celsitudo.

7. Jam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut majestas tanta, de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Plane magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est? Hoc namque est quod juxta propositum ordinem **720** oporteat jam perscrutari. Nec sane laborandum est in hac parte, cum manifeste adventus ejus causam et verba ipsius, et opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit; et ut confiteantur manifestius Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsit! In qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tan-



quam a seipso; sed quod tanti eum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, et quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: imo nec est aliquid in comparatione ejus. Domine, quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

8. Attamen velim nosse, quid sibi voluerit, quod ad nos venit ille, aut quare non magis ivimus nos ad illum. Nostra enim erat necessitas: sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ita est, fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit; sed duplex erat impedimentum. Nam et caligabant oculi nostri: ille vero lucem habitat inaccessibleem (*I Tim. vi, 16*); et ja-centes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Salvator et medicus animarum descendit ab altitudine sua, et claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laterna quadam, illo utique glorioso et ab omni labe purissimo corpore quod suscepit. Hæc est enim illa levissima plane et præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum propheta prædixerat, ut descenderet in Ægyptum (*Isa. xix, 1*).

9. Tempus est jam ipsum quoque considerare tempus, quo Salvator advenit. Venit enim (quod et vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongrue factum est, sed vere sapienter disposuit Sapientia, ut cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, pronos ad ingratitude Adæ filios non ignorans. Vere enim advesperascebat et inclinata erat jam dies, recesserat paulo minus sol justitiæ: ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in terris. Nam et lux divinæ notitiæ parva admodum erat, et abundante iniquitate fervor refriguerat charitatis. Jam non apparebat angelus, non loquebatur propheta; cessabant velut desperatione victi, præ nimia utique duritia hominum et obstinatione: at ego, ait Filius, tunc dixi: *Ecce venio (Psal. xxxix, 8)*. Sic, sic dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter perageret (*Sap. xviii, 14*), omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. Quod et Apostolus innuens aiebat: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (Galat. iv, 4)*. Nimirum plenitudo et abundantia temporalium oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Opportune ergo tunc advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum describeretur universus orbis (*Luc. ii, 1*).

10. Habetis jam et personam venientis, et locum utrumque, id est, a quo, et ad quem venit: causam quoque et tempus non ignoratis. Unum restat, via scilicet per quam venit: et hæc quoque diligenter requirenda; ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere. Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis, ita quo-

tidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis, sicut scriptum est: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. Et ut noveris occultum esse spiritualem hunc adventum: *In umbra ejus*, inquit, *vivemus inter gentes (Thren. iv, 20)*. Propterea dignum est, ut si non valet infirmus in occursum tanti medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via: usque ad temetipsum occurre Deo tuo. Prope est enim **721** verbum in ore tuo, et in corde tuo (*Rom. x, 8*). Usque ad cordis compunctionem et oris confessionem occurre, ut saltem ex eas de sterquilino miseræ conscientie; quoniam indignum est illuc auctorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo adventu dicta sunt, quo singulorum mentes invisibili dignatur illustrare præsentia.

11. Libet autem manifesti adventus viam considerare: quoniam viæ ejus, viæ pulchræ; et omnes semitæ ejus pacificæ (*Prov. iii, 17*). *Ecce*, inquit sponsa, *venit is saliens in montibus, transiliens colles (Cantic. ii, 8)*. Venientem vides, o pulchra, sed cubantem videre ante non poteris. Dixisti enim: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes (Cant. i, 6)*. Cubans pascit angelos in illas perpetuas æternitates, quos satiat visione æternitatis et immutabilitatis suæ. Sed ne ignores te, o pulchra: quoniam mirabilis facta est visio illa ex te; confortata est, et non poteris ad eam. Verumtamen ecce egressus est de loco sancto suo: et qui cubans pascit angelos, ipse cœpit, sicque sanabit nos; et videbitur veniens et pastus, qui cubans et pascens ante videri non poterat. *Ecce venit hic saliens in montibus, transiliens colles. Montes et colles, patriarchas et prophetas accipe; et quemadmodum venerit saliens et transiliens, in libro generationis lege: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob (Matth. i, 2)*, etc. Ex his montibus prodiit, ut invenies, radix Jesse, unde juxta prophetam, egressa est virga, et exinde flos ascendit, super quem requievit Spiritus septiformis (*Isa. xi, 13*). Quod manifestius alio in loco aperiens idem propheta: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus (Isa. vii, 14)*. Quem enim prius florem, ipsum deinde Emmanuelem; et quam dixerat virgam, manifestius exprimens, virginem nominavit. Sed necesse est altissimi hujus sacramenti considerationem diei alteri reservare: digna est enim proprio sermone materia, præsertim quod in longum jam hodiernus sermo processerit.

#### SERMO II.

De verbis Isaïæ ad Achaz: « Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra, » etc. (*Isa. vii, 11-16*).

1. Audivimus suadentem regi Achaz Isaïam, petere signum a Domino, sive in profundum

inferni, sive in excelsum supra. Audivimus responsionem ejus, formam quidem habentem pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique ab eo qui intuetur cor, et cui confitetur hominis cogitatio meruit reprobari. *Non petam*, inquit, *et non tentabo Dominum*. Elatus erat Achaz fastigio solii regalis, astutus humanæ sapientiæ verbis. Audierat igitur Isaïas a Domino: *Vade, dic vulpi illi, petat sibi signum a Domino in profundum*. Habet enim vulpes foveam, sed in infernum quoque si descenderit, adest qui comprehendat sapientes in astutia sua. Item: *Vade*, ait Dominus, *dic volveri isti, petat sibi signum in excelsum supra*. Habet enim volucris nidum, sed et si in cœlum ascenderit, illic est, qui superbis resistens, propria calcet virtute superbiorum et sublimium colla. Verumtamen dissimulat ille potestatis excelsæ, seu incomprehensibilis profunditatis sapientiæ quærere signum: et propterea signum bonitatis et charitatis domui David ipse Dominus promittit, ut quos nec potestas, nec sapientia terruit, alliciat saltem exhibitio charitatis. Potest tamen in eo quod ait, *In profundum inferni*, etiam charitas ipsa, qua majorem nemo habuit, ut in infernum quoque pro amicis moriendo descenderet, non immerito designari: ut præcipiatur Achaz vel in excelsum regnantis expavescere majestatem vel descenditis ad inferos amplecti charitatem. Molestus est ergo non solum hominibus, sed etiam Deo, quisquis nec majestatem cogitat in timore, nec charitatem cum amore **722** meditat. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum*, in quos manifeste et majestas, et charitas innotescat. *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus*. Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus. Ne timeas, o homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus. Nobiscum carnis similitudine, nobiscum unitate [*alias, utilitate*]. Propter nos venit, tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis.

2. Denique, *Butyrum*, inquit, *et mel comedit*. Ac si dicat: *Parvulus erit, et vescetur infantilibus alimentis. Ut sciat*, inquit, *reprobare malum, et eligere bonum*. Etiam hic bonum et malum audis, sicut in arbore vetita, sicut in ligno transgressionis. Sed multo melius a primo Adam secundus iste partitur. Eligens enim bonum, malum reprobatur, non sicut ille qui dilexit maledictionem, et venit ei; noluit benedictionem, et elongata est ab eo (*Psal. cviii, 18*). Nam et in eo quod præmisit, *Butyrum et mel comedit*, advertere poteris parvuli hujus electionem. Tantum adsit ejus gratia, ut quod præstat, utcumque sentire digne, et accommodate ad intelligentiam proferre concedat. Duo sunt in lacte ovis: butyrum et caseus. Butyrum pingue et humidum; caseus contra aridus et durus. Bene ergo parvulus noster eligere novit, qui butyrum comedens, caseum utique non comedit. Quæ est enim ovis centesima, quæ erravit (*Matth. xviii, 12*), et in Psalmo loquitur: *Er-*

PATROL. CLXXXIII.

*ravi sicut ovis quæ perit (Psal. cxviii, 176)*. Utique genus humanum quod benignissimus pastor quærit, aliis sane nonaginta novem ovibus in montibus derelictis. In hac igitur ove duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, et bonam valde, tanquam butyrum: et peccati corruptionem, ut caseum. Vide ergo quam optime puer noster elegit, qui naturam nostram sine ulla peccati corruptione suscepit. Nam de peccatoribus legis, *Coagulatum est sicut lac cor eorum (ibid. 70)*; in quibus utique lactis puritatem corruerat fermentum malitiæ, coagulum iniquitatis.

3. Sic et apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctiorem. Apis vero est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam angelorum. Unde et ad civitatem Nazareth, quod interpretatur *flos*, advolavit, et ad suave olentem perpetuæ virginitatis florem advenit: illi insedit, illi adhæsit. Hujus apis mel et aculeum non ignorat, qui misericordiam ei et judicium cum Propheta decantat (*Psal. c, 4*). Attamen ad nos veniens solum mel attulit, et non aculeum, id est misericordiam et non judicium; ita ut suadentibus quandoque discipulis, ut civitatem, quæ suscipere eum noluit, præciperet igne consumi, responderit, *Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum (Luc. ix, 54-56)*. Non habebat aculeum apis nostra: quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, et non judicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim apis nostra quandoque assumere aculeum suum, et acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum: quoniam Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium (*Joan. v, 22*). Nunc autem parvulus noster butyrum et mel comedit, quando bonum naturæ humanæ, divinæ misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, et peccatum non habens: Deus misericors, et judicium non exhibens.

4. Ex his manifestum jam arbitror, quænam sit virga de radice Jesse procedens, quis vero flos super quem requiescit Spiritus sanctus. Quoniam Virgo Dei genitrix virga est, flos Filius ejus, Flos utique Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus (*Cantic. v, 10*); flos in quem prospicere desiderant angeli, flos ad cujus odorem reviviscunt mortui, et sicut ipse testatur, flos campi est (*Cant. ii, 1*), et non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra et casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni viroris florem protulere; cujus pulchritudo **723** non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo, virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! usque ad Sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere cœlestis planta, pretiosior cunctis,



sanctior universis! O vere lignum vite, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est plane falsitas tua. Duo imposueras Creatori; mendacii et invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem et ab initio moritur cui dixeris: *Nequaquam morieris* (Gen. iii, 4): et veritas Domini manet in æternum (Psal. cxvi, 2). Sed et nunc responde, si potes, quam ei arborem, ejus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, et fructum sublimem negavit? Etenim qui proprio Filio non pepercit, quomodo non omnia simul cum illo donavit? (Rom. viii, 32.)

5. Sed jam advertistis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit procedens ex ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, quam priore, si meministis, cœpimus investigare sermone, studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum, per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vite, mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nocis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio representa. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti [*alias, percepisti*], ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ et beatitudinis suæ, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

## SERMO III.

*De triplici Domini adventu, et de septem columnis quas in nobis erigere debemus.*

1. In Adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam majestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavesco. Stupent certe angeli de novo, videntes infra se, quem supra se semper adorant, manifeste jam ascendentes et descendentem ad Filium hominis. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inestimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator et Dominas, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicit aliquis: Quomodo venisse dicitur, qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, et mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit (Joan. i, 10). Non ergo venit qui aberat, sed apparuit qui latebat. Unde et

humanam, in qua agnosceretur, induit formam, qui nimirum in divina lucem habitat inaccessibilem (1 Tim. vi, 16). Nec sane inglorium majestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio, nec indignum Deo, a quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

2. Hujus ergo adventus tantæ majestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis 724 nostræ ab universa Ecclesia semel in anno solemnem memoria celebratur. Sed utnam ita semel ageretur, ut semper! id quippe dignius. Quante enim insanie est, ut post tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint, seu audeant occupari; et non magis, omissis omnibus, soli ejus cultui vacent, nec in ejus presentia cujusquam meminerint cæterorum? Sed non omnium est quod ait Propheta: *Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt* (Psal. cxliv, 7): siquidem nec omnes hæc memoria pascit. Sane nemo quod non gustavit, sed neque quod tantum gustavit, eructat. Ructus quippe non nisi de plenitudine et satietate procedit. Propterea quorum secularis est mens et vita, memoriam hanc etsi celebrant, non tamen eructant sine devotione et affectione dies istos arida quadam consuetudine observantes. Denique, quod damnabilis est, ipsa quoque inestimabilis hujus dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc et hujusmodi quærat in nativitate sua Christus, et ibi suscipiatur dignius, ubi hæc accuratius exhibentur. Sed ipsum audi dicentem: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam* (Psal. c, 5). Quid tanta ambitione vestes paras in Natale meum? detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? damno eo carnis delicias, non accepto. Plane insatiabilis es corde, tanta paras, et extam longo; nam corpori utique et pauciora sufficerent, et quæ possent opportunius inveniri. Celebrans ergo adventum meum, labiis me honoras, sed cor tuum longe est a me. Non me colis, sed deus tuus venter est, et gloria in confusione tibi. Infelix omnino, qui voluptatem corporis, et sæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus, cujus est Dominus Deus ejus (Psal. cxliii, 15).

3. Fratres, nolite æmulari in malignantibus, neque zelaveritis facientes iniquitatem (Psal. xxxvi, 1). Intelligite magis in novissima eorum, et compati mini eis ex animo, et orate pro eis qui præoccupati sunt in delicto. Hæc enim faciunt miseri, quia ignorantiam Dei habent. Nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ tanta adversum se insania provocarent. Nos autem, dilectissimi, excusationem de ignorantia non habemus. Plane nosti eum, quisquis hic es, et si dixeris: Quia non novi eum, eris similis sæcularibus, mendax. Denique si eum

non nosti, quis te huc adduxit, aut quomodo huc venisti? Alioquin quando tibi persuaderi posset charorum affectibus, corporis voluptatibus, sæculi vanitatibus sponte abrenuntiare, et jactare cogitatum tuum in Domino, et omnem sollicitudinem in eum projicere; de quo nihil bene, imo tam male, conscientia teste, merueras? Quis tibi, inquam, persuadere id posset, si nescires, quia bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum; nisi cognovisses et tu, quia suavis est Dominus, et mitis, et multæ misericordiæ, et verax? Hæc autem unde nosti, nisi quia non solum ad te, sed etiam in te venit?

4. Triplicem enim ejus adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad omnes quidem indifferenter, non autem ita in omnes, aut contra omnes. Sed quia primus et tertius noti sunt, utpote manifesti; de secundo, qui spiritualis et occultus est, ipsum audi dicentem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Beatus, apud quem mansionem facies, Domine Jesu. Beatus, in quo Sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima, quæ sedes est Sapientiæ. Quænam est illa? Anima utique justi. Merito plane, quia justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Quis in vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illi serica, quæ tapetia, quod pulvenir oporteat præparari. *Justitia, inquit, et judicium præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo 725 tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde, æquali cuique quod debes, et digne celebra adventum Christi, parans ei in justitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam prelato, et obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifeste innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen a quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non presentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, et dignitati ipsius officii deferentes.

5. Sic et fratribus nostris, inter quos vivimus, ipso jure fraternitatis et societatis humanæ consilium sumus et auxilii debitores. Hæc enim volumus ut et ipsi nobis impendant: consilium, quo erudiat ignorantia nostra; auxilium, quo juvetur infirmitas nostra. Sed forte erit inter vos qui tacitus respondeat, dicens: Quod ego consilium dabo fratri, cui nec unum quidem dicere verbum fas est absque licentia? quod ei auxilium impendere est, cum nec minimum aliquid agere liceat absque obedientia? Ad quod ego: Non deerit certe quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit. Nullum ego con-

silium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri; provocans eum ad meliora, et consulens ei, non verbo neque lingua, sed opere et veritate. An vero utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quam ut ores devote pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus: ut non modo nullum ei offendiculum ponas, sed et sollicitus sis, quantum prævalet, tanquam angelus pacis de regno Dei scandala tollere, et occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium et consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur.

6. Porro si cui forte prælatus es, huic sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit a te et ipse custodiam et disciplinam. Custodiam quidem ut possit cavere peccatum, disciplinam vero, ut quod minus cavet, minime maneat impunitum. Quod etsi nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te, cui custodiam hanc et disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes et disciplinam, ut dignos faciat penitentiae fructus, castigatus et subditus servituti. Longe tamen graviori et periculosiori debito tenentur astricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix! quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, esset que repositus penes me in vase vitreo, quod et portari sæpius oporteret, quid animi habitum essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, et quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sane ad sollicitudinis cumulum et pondus timoris, quod cum et meam, et proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est: et nihilominus exigitur a me utriusque custodia, et clamatur: *Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?* (Isa. xxi, 11.) Non est mihi dicere cum Cain: *Nunquid custos fratris mei sum ego* (Gen. iv, 9)? sed est fateri humiliter cum Propheta, quia *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1). In eo tamen excusabilis ego videor, si, ut prædixi, debitam exhibeo custodiam pariter et disciplinam. Quod si priora quæ quatuor non defuerint, dico autem erga prælatos 726 reverentiam et obedientiam, consilium et auxilium erga fratres, quod ad justitiam pertinet non imparatam sedem inveniet Sapientia.

7. Et fortassis hæc videantur sex columnæ, quas excidit in ipsa domo, quam ædificavit sibi: et septima quoque quærenda est, si forte et eam nobis notam facere ipsa dignetur. Quid vero prohibet sicut



sex injustitia, septimam quoque intelligi in iudicio? Neque enim iustitia sola, sed *iustitia*, inquit, *et iudicium præparatio sedis tuæ* (Psal. LXXXVIII, 15). Denique si praelatis, et æqualibus, et inferioribus reddimus quod oportet, nihilne accipiet Deus? At ei plane quod debet retribuere nemo potest, quod tam copiose accumulaverit super nos misericordiam suam, quod tam multa deliquerimus ei, quod tam fragiles et nihil simus, quod tam plenus et sufficiens ille sibi, et honorum omnium nostrorum non egens. Audivi tamen dicentem eum, cui incerta et occulta sapientiæ suæ revelaverat, quia *honor regis iudicium diligit* (Psal. xcvi, 4). Nihil quod in se est a nobis exigit amplius; tantum dicamus iniquitates nostras, et iustificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Diligit enim animam quæ in conspectu ejus et sine intermissione considerat, et sine simulatione dijudicat semetipsam. Idque iudicium non nisi propter nos a nobis exigit, quia si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Propterea sapiens veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit et dijudicat universa. Honorat quippe veritatem, qui et se, et sua omnia in eo statu, quo veritas habet, et agnoscit veraciter, et humiliter confitetur. Audi denique manifestius a te iudicium exigi post iustitiam. *Cum feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus* (Luc. xvii, 10). Hæc plane, quoad ad hominem, est digna sedis præparatio Domino majestatis ut et iustitiæ mandata studeat observare, et semper indignum sese et inutilem arbitretur.

## SERMO IV.

*De duplici adventu, et studio verarum virtutum [alias, De duplici adventu, et pennæ deargentatis].*

1. Dignum est, fratres, ut tota cum devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec vero solum cogitatis adventum, quo venit quærere et salvum facere quod perierat, sed et illum nihilominus, quo venit et assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos adventus jugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris, quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo! Utinam certe dormiatis inter medios cleros! Hæc sunt enim duo brachia sponsi, inter quæ sponsa dormiens aiebat: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* (Cantic. ii, 6). Nam in sinistra quidem ejus, sicut alibi legimus, *divitiæ et gloria: in dextera longiturnitas vitæ* (Prov. iii, 16). In sinistra ejus, inquit, *divitiæ et gloria*. Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite. Quid vobis cum terrenis divitiis et gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum et argentum. Nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.

2. Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes:

quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II Cor. i, 12). Hæc est utique vera gloria, quæ est a spiritu veritatis. *Ipse enim Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus* (Rom. viii, 16.) Gloria vero, quam ab invicem accipiunt, qui gloriam quæ est a solo Deo non requirunt, vana est, quoniam vani filii hominum. Insuper tu, qui merces congregas in sacco pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constituis! Ignoras quod arca ista **727** non clauditur, nec seras habet? Quanto melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi servant, aliis non committunt? Verum nunquid semper servabunt? Nunquid semper abscondent? Veniet cum manifesta erunt abscondita cordis; quæ vero fuerint ostentata, non comparebunt. Hinc est quod veniente Domino fatuarum virginum lampades exstinguuntur (Matth. xxv, 1-12): et qui receperunt mercedem suam (Matth. vi, 16), a Domino nesciuntur. Propterea dico vobis, charissimi, utile est abscondere magis quam ostentare, si quid habemus boni; sicut et mendici cum elemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera, si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius Phariseo, et ideo *descendit iustificatus ab illo* (Luc. xviii, 14) id est præ illo.

3. Tempus est, fratres, ut iudicium incipiat a domo Dei. Quis finis eorum qui non obediunt Evangelio? quod iudicium his qui in hoc iudicio non resurgunt? Quicumque enim iudicari dissimulant eo iudicio quod nunc est, in quo princeps hujus mundi ejicitur foras, iudicem expectent, vel magis timeant, a quo cum ipso principe suo foras ejectionem et ipsi. Nos autem si perfecte iudicamur nunc, securi Salvatorem expectemus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 21). Tunc fulgebant justi, ita ut videri possint docti pariter et indocti: fulgebunt enim sicut sol in regno Patris eorum (Matth. xiii, 43). *Erit autem claritas solis septempliciter* (Isa. xxx, 26), id est, sicut lux septem dierum.

4. Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; si tamen prius fuerit cor reformatum, et configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod et dicebat: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil sumus; et hanc discimus a nobis ipsis, et ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi, et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens (Philipp. ii, 7), qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra et ignominiosum

supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. Sint ergo, si dormire volumus *inter medios cleros*, id est duos adventus, *pennæ nostræ deargentatæ* (Psal. Lxvii, 14): ut illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo et exemplo commendavit Christus præsens in carne. In argento siquidem non incongrue intelligitur humanitas ejus, sicut in auro divinitas.

5. Omnis itaque virtus nostra tam longe est a vera virtute, quam longe est ab ea forma: et omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quædam penna est paupertatis, quæ tam cito volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et præsentem tempore enuntiatum est: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*: cum in cæteris dicatur: *Hæreditabunt, consolabuntur, et similia* (Matth. v, 3-9). Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges cæli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt et alii mites, sed quandiu nihil dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio; patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? Alios quoque lugentes video: sed si de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facile illico solverentur in risum. Nunc autem cum abundantius otiosa verba et scurrilia profluant, quam prius lacrymæ; lacrymas hujusmodi de his esse non arbitror, quibus **728** consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur ut videri possent esurire et sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium; sed nunc pondus et pondus, utrumque abominatio est a quo Deum (Prov. xx, 23). Nam contra alios tam impudenter quam inaniter æstuant: seipsos tam insipienter quam inutiliter palpant.

6. Sunt alii misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter, sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam; si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his qui forte contra eos peccare viderentur, indulgentiam; darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad poenitentiam provocarent. Denique et his, et omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent, et orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, et misericordiam consequuntur nullam. Item sunt qui peccata sua sic confitentur ut videri

(6) Alias, *jocatum*. Sed manuscripti habent, *jocasse*: licet enim *joco* pro *jocor* non facile quis hoc

possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur), nisi quod ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt: qui si vere mundari desiderarent, ut videntur; non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Sunt et alii qui si viderent quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint; et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos factum dictumve videbitur tardius universis poterit difficiliusque sedari: qui nimirum si vere pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibi-ipsis.

7. Deargentemus ergo pennas nostras in Christi conversatione, sicut et martyres sancti laverunt stolas suas in ejus passione. Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit paupertatem, ut, quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinare (Luc. ix, 58): ita ut discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cum per sata transirent (Luc. vi, 1): quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum (Isa. liii, 7): quem et super Lazarum et super civitatem flevisse (Joan. xi, 35; Luc. xix, 41), et in orationibus pernoctasse legimus (Luc. vi, 12); risisse vero aut jocasse (6) nusquam: qui sic esurivit iustitiam, ut cum propria non haberet, tantam pro peccatis nostris a seipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quam iustitiam sitiēbat, qui pro inimicis mori non dubitavit, et oravit pro crucifixoribus suis: qui peccatum non fecit, et imposita sibi ab aliis patienter audivit, qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

## SERMO V.

*De medio adventu, et triplici innovatione.*

1. Diximus nuper his qui deargentaverunt pennas suas, dormiendum inter medios cleros, duos significantes adventus: sed ubi sit dormiendum non diximus. Tertius enim quidam adventus est medius inter illos; in quo delectabiliter dormiunt qui eum norunt. Illi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priori quidem in terris visus, et cum hominibus conversatus est; quando, sicut ipse testatur, *et viderunt, et oderunt* (Joan. xv, 24). In posteriore vero *videbit omnis caro salutare Dei nostri* (Luc. iii, 6); et *videbunt in quem transierunt* (Joan. xix, 37). Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, et salvæ fiunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne et infirmitate; in hoc medio, in spiritu et virtute; in ultimo, in gloria et majestate. Per virtutem **729** enim pervenitur ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (Psal. xxiii, 10.) Et item alibi ait idem propheta: *Ut vide-*

ævo dixerit, in superioribus tamen sæculis sæpius se offert, inquit Vossius.